

Tri. 3. num. 2.

Q. F. F. Q. S.

Analyfin I. QVIN-

QVE PEDUM 5. C.

fin. reg.

Magnifici Jctorum in Academia Lipsiensi

Ordinis auctoritate

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Admodum Reverendi, Nobilissimi, Amplissimi
& Consultissimi*

Dn. FRANCISCI ROMANI,

Jcti, Cod. P.P. Canon. Merseburg. supremæ

Curia Provincialis & Facultatis Juridicæ Assesso-

ris, laudatæ item Academiæ Syndici

gravisimi,

Patroni ac Promotoris sui observantiâ

summâ colendi

publicè examinandam proponit

GEORGIUS CHRISTIANUS Berger/

Merseburg. Auctor.

ad diem 17. Aprilis

A. O. R. clō lōc LXII.

H. L. Q. C.



L I P S I Æ

Typis Viduæ HENNINGI COLERA

1811

13

1662,9



V I R I S

Magnificis, admodum Reverendo, Generoso, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis, Doctissimis,

Dn. JOHANNI CHRISTOPHORO MARCI,
Jcto eminentissimo, Reverendissimi Serenissimiq; Principis
ac Domini, Domini CHRISTIANI Ducis Saxonæ,
Jul. Cliv. & Mont. Postulati Administrat. Episcopat. Merseburg. &c. Consiliario intimo & Cancellario, Supremæ item Curiaë provincialis, quæ Lipsiæ celebratur, Assessori Gravissimo;

Dn. CONRADO HEINRICO à Griesheim/
in Neschka/ Reverendissimi Capituli Episcopat. Merseburg. Decano, Serenissimorum & Reverendissimi Principum ac Dominorum, Domini Electoris Saxonæ, & Domini CHRISTIANI Ducis Saxonæ, Jul. Cliv. & Mont. Postulati Administr. Episcopat. Merseburg. &c. respectivè Aulæ, Justitiæ, atq; Appellationum. Consiliario;

Dn. CONRADO SEHEN/ in Eptingen/
Reverendissimi & Serenissimi Principis ac Domini, Domini CHRISTIANI Ducis Saxon. Jul. Cliv. & Mont. Postulat. Administr. Episcopat. Merseburg &c. Consiliario, & Secretario intimo:

Dominis suis & Mæcenatibus submissè ac devotè colendis

has studij Juridici primitias
facrat

Georg. Christian Berger.

CUM DEO.

IN primâ mundi ætate, cum, uti cæte-
rarum rerum, c. *Jus naturale* 7. dist. 1. *Justin. lib. 43.*
c. 1. n. 3. ita & ipsius terræ agrorumq; inter homines
esset communitio;

Nec signare quidem, aut partiri limite campum,
Fas erat.

Virgil.
Georg. 1.

Verùm aucto humano genere, atqve in singulos di-
es paullatim à simplicitate primâ discedente, cum non
retineri posset illa communitio, necessariâ consequentiâ
dominiorum distinctiones introduci oportuit. Primùm
itaq; res mobiles, deinde immobiles, in his agros sive
telluris certas portiones, temporibus filii Eber Pelegi,
qui nomen sortitus inde est, occupatione proprias sibi
fecere mortales. add. *Grotius de J. b. & p. lib. 2. c. 2. n. 2.*
Seldenus de J. N. G. & C. secund. disciplin. Ebraeor. lib. 6. c. 4.
Quâ ratione divisus inter homines regionibus atq; agris,
ad opprimendas quàm maximè bellorum disfidiorum-
que occasiones, certi quoq; fines determinari, ac limi-
tes poni cœperunt: idq; apud diversas gentes inq; di-
versis Rebusp. factum fuit diversimodè. Apud Roma-
nos præ cæteris modis agros distingvendi (de quibus
vid. *Frontinus de limit. & de re agrar. id est de agror. qvalitat.*
& controvers. Aggen *Urbic. in Frontin. de re agrar.* *Hygenus*
de limit. agror.) ille fuit celebris atq; usitatus, quo secun-
dum L. XII. Tabb & L. Mamiliam, à C. Mamilio Trib.
Pleb. quem ideo Limitanum seu Limetanum dixerunt, la-
tam, *Calvinus in enumeratione Ll. Romanar.* inter duos agros
incultum linquebatur spatium quinq; pedum, cujus pro-
hibita erat usucapio. De hoc quinq; pedum spatio ha-
bentem legem s. c. fin. reg. obscuritate suâ variusq; DD.



explicationibus satis celebrem, in præfenti explicandâ,
Deo Opt. Max. adjuvante, nobis propofuimus. Quod
fi non ubiq; veram fententiam fecuti videbimur, cum a-
lia, tum maximè, quod primus hic fit conatus, haud dif-
ficulter veniam merebuntur.

II. Inſcriptio legis noſtræ ita habet: Imppp.
Valentinian. (II. ſcil.) Theodoſ. (ſenior) & Arcad.
AAA. Neotherio PP. Similem inſcriptionem habent
in Cod. Juſtinian. l. 3. de episcopalis. audient. l. 13. de excusat.
mun. Quinam fuerint iſti Imppp. & quo tempore, nimi-
rum circa annum Chriſti 388, 389, 390, 391, 392, partitum
inter ſe tenuerint Imperium Romanum, ex historiis
cuiq; notum eſt. Vid. Cluverus in epit. hiſtor. univerſ. lib. 9.
Rupertus in obſervat. ad hiſtor. univerſ. ſynopſin Beſold. minor.
cap. 15. Eſſi autem trium Imppp. nomina hæc conſtitu-
tio præfert, nullum tamen eſt dubium, quin uni tantum
ex iis, tanquam vero auctori, tribuenda ſit. Notat e-
nim infinitæ eruditionis Jctus Jacobus Gothofredus.
in diſcurſu hiſtorico ad l. Quisquis C. ad L. Jul. Majeſt. c. 3.
moris olim fuiſſe, pluribus eodem tempore, diviſo Im-
perio, imperantibus, ut, licet ab uno tantum Imperato-
re revera ſcripta lex eſſet, ex æquo tamen omnium nomi-
na præferret. Conferatur de ejuſmodi ſtatu Reip. Bodi-
nus lib. 2. de Rep. cap. 2. n. 187. & lib. 6. c. 5. n. 734. Gro-
tius de J. b. & p. lib. 1. c. 3. n. 17. Dan. Otto de J. publ. c. 7.
Interim nobis certo non conſtat, cui ex his Imppp. po-
tius conſtitutio noſtra, tanquam auctori, adſcribenda
ſit. Communiter, &, quantum conjecturamus, rectè,
ſub Theodoſii nomine laudatur. Argumentis autem
iſtis, quibus Illuſtris Jacobus Gothofredus laudati diſcur-
ſus cap. 3. legis Quisquis C. ad L. Jul. Majeſt. Impp. Ar-
cadij & Honorij nominibus inſcriptæ, Arcadiū aucto-
rem

rem esse, confirmat, in re simili nobis uti non licet: cum, utrum in oriente an in occidente tunc temporis fuerit Præfectus Prætorio Neotherius, in inscriptione; & urbis nomen, ubi data fuit hæc lex, in subscriptione desideretur. Consulatum, anno Christi 390. cum Valentiniano A. gessisse Neotherium, ex subscriptione *l. 9. C. de Episcop. & cler. l. 15. C. de accusat. & inscript l. 5. C. ad l. Jul. repetund. l. 2. C. de fabricens.* item ex Fastis Consularibus & epistolâ gratulatoriâ Symmachi, quæ 38. est, & cum aliis ad Neotherium misis habetur lib. 5. epistolar. constat. Utrum apud alios istius ævi scriptores, Socratem, Zosimum, Zonaram, Orosium, Sozomenum &c. quibus nos destituimur, certiora de vita ejus & dignitatibus reperiantur, iis, qui hos auctores perlustrarunt, affirmandum vel negandum committimus. Cæterum alius Neotherij fit mentio in inscriptione *l. 2. C. ne fil. pro patre.*

III Quod subscriptionem attinet, Pp. VII. Kal. Aug. Arcadio A. II. & Rufino Coss. notandum est, apud quosdam auctores, hanc ipsam constitutionem referentes, legi Augusto & Bauto Coss. At prior subscriptio præterea quod recepta est, ex aliarum constitutionum subscriptionibus & Fastis Consularibus confirmatur.

IV. (Quinq; pedum) Hi quinq; pedes dicuntur unus gradus in *l. 3. pr. de term. mot.* quod de gradu, non simplici, pedes habere duos & semissem, sed Geometrico, quinq; pedum, vel, ut alii volunt, sex, accipiendum est. Cujac, *in l. 4. §. fin. in fin. de usucap.* Dionys. Gothofredus *in notis ad d. l. 3. de term. mot. lit. 1.* Tantum spatium, unius gradus Geometrici, sive quinq; pedum, inter duo prædia rustica, non urbana, *l. 2. ff. fin. reg. l. 4. §. pen. cod.* vacuum relinquendum constituit L. XII. Tabb. ad id, ut eo spatio ire, agere uterq; dominus posset, & ut ara-

rum, factò eatenus sulco, commodè circumverteretur :
vetitâ simul ejusdem usucapione, quo minus litibus inter
confines occasio daretur, facillimè alioqvi suscipiendis,
in quibus plerumq; improbo lucrum faciente, huma-
nior & melior succumberet. Alciat. in repetit. sing. ad l.
quinq; pedum C. fin. reg. Wesenbec. ad tit. ff. fin. reg. n. 2. Cui
rationi jungatur illa, quod fines in rebus sacris fuerint
habiti. vid. Wesenbec. dict. loc. Res sacræ autem cum in
commercio non sint, nec possideri queant l. 30. §. 1. de
acquir. vel amitt. poss. naturâ sua usucapi prohibentur. §. 1.
l. de usucap. Quod si vero iurgarent confines, alia L. XII.
Tabb. finibus regundis tres arbitros à Prætore addici
jusfit. Quem numerum postea lata L. Mamilia tollens,
unum saltem dari præcepit : cui agrimensor ad regundos
atq; ex arte sua constituendos fines adjungebatur. U-
trâq; L. tam XII. Tabb. quam Mamilii Tribun. pleb. ita
sancitum fuisse, maximè ex Cicerone lib. 1. de ll. n. 79.
probant, ubi ad eas alludens, inquit : *Ex hâc autem non re-
rum, sed verborum discordia, controversia nata est de finibus : in
qua, quoniam usucapionem XII. Tabula (sive ut Cujacius è XII,
non improbante Jacob. Gothofredo in probationibus
ad Tab. VIII.) inter quinq; pedes esse noluerunt, depasci veterem
possessionem Academia ab hoc acuto homine non sinemus : nec Ma-
niliâ lege singuli, sed ex his (de se, Attico & Quincto intelli-
gens) tres arbitri fines regemus.* add. Aggen. Urbic. ad Frontin.
de re agrar. tit. de controvers. Rosin. antiquitat. Romanar. lib. 8.
de LL. De finibus autem Tabulam VIII. egisse affirmant
ex l. ult. ff. fin. reg. ubi Gajus libro quarto ad L. XII. Tabb.
de finibus quodâmodo ad exemplū ejus legis quam A-
thenis Solon dicitur tulisse (& ibidem refert Gajus) scriptū
esse ait. Conf. Jacob. Gothofredus in notis ad Tab. VIII.
qui præterea monet, legem Solonis malè a quibusdam,
totidem,

totidem, quod eam Gajus recitat, verbis, in Decem virales transferri.

V. Præscriptione submotâ in vocabulo præscriptionis (cujus homonymiam vide apud Calvinum in *Lexico Juridico*) potissima latet difficultas Constitutionis nostræ. Alciatus in *repetit. pag. b. l.* Cujacius in *l. 4. § ult. de usucap.* Wesenbecius ad *tit. ff. fin. reg. r. 2.* pro legitima temporis definitione siue exceptione temporis accipiunt; cum quibus sentit Pacius in *Methodic. C. d. t. n. 14.* in eo saltem diversus, quod definitionem istam temporis siue præscriptionem non tantum ad spatium quinque pedum, sed ad ipsa etiam loca seu prædia confinia pertinere ait. Addere huic classi illos licet, qui, verbis præscriptione submotâ parenthesi inclusis, hac lege statui dicunt, ut intentio iurgii finalis quinque pedum, vel intentio iurgii locorum, libera peragatur, sine metu opponendæ præscriptionis (longi temporis scilicet) jam summotæ. Glossa cum Veteribus omnibus, Giphanius ad *h. l.* & Charondas *lib. 3. verisimil. cap. 16.* præscriptionem hinc eodem modo, quo in *l. 9. pr. de transact. l. 11. § l. pen. de except. l. 29. pr. de except. rei judic. l. 91. de solut. l. 2. C. de prec. imp. off. l. pen. C. de pact. l. 8. l. pen. l. ult. C. de except. exceptionem denotare statuunt. Glossa quidem ac veteres reliqui, quando præscriptionem i. e. exceptionem quinque pedum hanc constitutione submotam fuisse dicunt, præsupponunt, quod ante hanc legem non agi potuerit de quinque pedibus, propter rei vilitatem, ideoque tum exceptionem quinque pedum agenti licuerit opponere. Sed rejiciunt explicationem hanc Alciatus *d. l.* & recentiores omnes, quia (1) vilium quoque ac rerum modicarum apud veteres fuit quæstio § *16. l. de rer. div. ibique Schneidevvin. in commentar. n. 2. l. 1. § 10. de conjung. cum eman. l. 22. in fin. princ. de damn. infect. l. 1. de gland. leg. Nov.**

69, 10.

69. c. 1. (2) hoc spatium non fuit res vilis, contra quam illi putarunt, (3) tantum de illo spatium competiit actio fin. reg. l. 4. §. pen. & ult. ff. fin. reg. Frontin. de re agrar. tit. de controvers. Aggen. Urbic. in commentar. ad dict. lib. Frontini tit. de controvers. Giphanius verò & Charondas dict. loc. ita quinque pedum præscriptionis i. e. exceptionis sublationem explicant, ut quis non amplius sit adstrictus ad certum istud spatium quinque pedum, sed, licet majus spatium occuparit confinis, nihilominus libere fin. reg. a. ctione de ulteriori spatium agere queat. Eadem quoad præscriptionis vocem sententia est Dn. Hahnii in observat. ad Wesenbec. tit. ff. fin. reg. n. 2. Amplissimus Dominus D. Struvius in Jenensi Academia Antecessor, Præceptor meus æternum venerandus, exercitat. ad ff. 10. th. 57. per præscriptionem præfinitionem intelligit, tum, quod hæc nativa vocabuli præscriptionis sit significatio, tum quod per sequentia verba, sola sit igitur &c. integræ hujus constitutionis, quæ in Cod. Theod. reperitur sub tit. fin. reg. non obscure suppeditetur. Quam explicationem confirmare egregie videtur l. fin. Cod. Theodos. fin. reg. mox à nobis recitanda, ibi: de eo tantum spatium, hoc est, quinque pedum, qui veteri jure præscripti sunt. Cæterum sententia ipsius nihil differt à priori. Nobis cum subtilissimo Jcto Dn. Frätzkio in explicatione h. l. quam coronidis loco tit. ff. fin. reg. imposuit, n. 10. facere libet discrimen inter constitutionem hanc, ut ab Imppp. Valentinian. II. Theodos. & Arcad. lata est, totaque in Cod. Theodos. habetur; & quatenus in Cod. Justinian. posita est, maximam partem rescissam. Integram Constitutionem in Cod. Theodos. extantem, loqui existimat Dn. Frantzkius, & de præscriptione i. e. exceptione quinque pedum, & de præscriptione temporis, non saltem quinque pedum spatium, sed & ipsa loca confinia concernente. Quoad partem

partem priorem verò, quæ in Cod. Justin. relata est, calculum suum explicationi Charondæ & Giphanii, adjicit: cum quâ tamen Dn. D. Struvii sententiam, quando præscriptionem concinnè admodum per præfinitionem declarat, optimè jungi posse arbitramur. De hâc priori parte, in Cod. Justinian. posita, probat sententiam suam his rationibus, quia (1) usucapio L. XII. Tabb. jam pridem fuit prohibita, *vid. supra n. 4.* (2) intellectâ hâc priori parte de præscriptione temporis, & quidem secundum Alciatum Cujac. & Wesenbec. ad quinque pedes solum pertinente, malè & ipsorum locorum, summotâ tantum quoad quinque pedes præscriptione, libera videtur permissa intentio: (3) in exceptione, quæ sequentibus verbis, *sola sit igitur hujusmodi legibus una præscriptio &c.* comprehenditur, præscriptionis vox pro exceptione sumitur. Ergo & in regula in eadem significatione accipitur. (4) frequenter exceptio & præscriptio consignificantia sunt. *vid. ll. paullo ante citat.* (5) notante Parlador, *lib. 1. rer. quotid. §. 1. n. 7.* Turaminad, *l. non puto 10. de Jure fisci p. 3. quæst. 2. n. 3.* quos allegat Hilliger, *lib. 22. Donell. enucl. c. 1. lit. n.* quando exceptionem temporis præscriptio significat, ubiq; in Jure nostro additur quantitas temporis vel t^o temporalis aut longæ possessionis. Sed & de sublata præscriptione temporis, quoad ipsa scil. loca, constitutio nostra, ut integra in Cod. Theodos. extat, intelligi debet. Quod confirmat Dn. Frantzkius (1) per verba legis expressa: *nec verò prolixioris &c.* (2) per *l. final. Cod. Theodos. h. t.* ejusdem auctoris, quæ ita habet: *Cunctis molitionibus & machinationibus amputatis, finalibus jurgis omnem modum quem præscripsimus, ac de eo tantum spatio, hoc est quinque pedum, qui veteri jure præscripti sunt, sine observatione temporis arbitros jussimus judicare. Quod si loca in controversiam veniant, solenniter judicare cognoscat, & seu civilis seu criminalis actio competit, tribuatur.*

B

tur,

tur, ita ut causâ cognitâ & redhibitione obnoxius decernatur, nec pœnam convictus aufugiat. Quæ lege corrigi Constitutionem nostram, & indistinctam reprobationem præscriptionis temporalis ad quinque pedes coangustari, affirmat. Quicquid vero in his ll. de præscriptione dicitur, de longi temporis præscriptione accipiendum est, cum præscriptio longissimi temporis, h. e. 30. vel 40. annorum per Theod. Jun. demum in l. 3. C. de 30. vel 40. annor. præscript. & Anastasium in l. 4. 5. 6. eod. introducta sit. Unde ostendit ibidem Dn. Frantzkius, quàm valdè interpolatam, ad sua tempora respiciendo, Tribonianus modò recitatam Constitutionem Theodosii in Cod. Justinian. retulerit.

VI. Finalis iurgij vel locorum) Per finale iurgium intelligitur actio fin. reg. h. e. de interstitio quinque pedum dirigendo, quæ l. 3. C. fin. reg. de finibus quærimonia, l. 4. & ult. eod. finalis quæstio, l. 10. C. de eviction. lis finalis can. inter 16. q. 3. limitis actio, can. volumus 16. q. 4. finium quæstio, appellatur. Utuntur autem Imppp. in hac Constitutione potius voce iurgij, secundum L. XII. Tabb. quod scilicet inter confines iurgium h. e. inter benevolos atque amicos dissensio vel concertatio, esse præsumatur, non vero lis, quæ inimicorum est. Quam in rem egregius superest locus Ciceronis ex lib. 4. de Rep. Admiror, nec rerum solum, sed verborum etiam elegantiam. Si JURGANT, inquit, (Lex scilicet XII. Tabularum.) Benevolorum concertatio, non lis inimicorum, JURGIUM dicitur, & in sequenti. JURGARE igitur lex putat inter se vicinos, non litigare. Nonius Marcellus c. 5. verbo Iurgium 34. Simili elegantia actio inofficiosi modestiæ causâ communiter in LL. nostris quærelæ nomine venit. Hottoman. ex Connan. lib. 9. c. 8. n. 2. Oldendorp. class. 5. act. 2. Hilliger Don. enucl. lib. 19. c. 3. C. J. A. ad tit. ff. de inoff. testam. n. 2. Opponitur iurgio finali
five

sive de fine controversiæ, quæ intra quinque pedes erat, iurgium locorum sive controversia de loco, cum de fundi portione aliqua, seu loco ultra quinque pedes, in confinio vel in mediis agris, controversitur. *add. l. 60. de v. s.* Utraque controversia est & dicitur de latitudine *l. ult. pr. de pignorat. act.* Plures controversias agrorum memorant Frontinus *supr. cit. loc.* & Aggen. Urbic. de positione terminorum, de rigore, de modo, de proprietate, de possessione, de alluvione, de jure territorii, de subserviis, de locis publicis, de locis relictis & extraculis, de locis sacris & religiosis, de aqua pluvia arcenda, de itineribus: quarum omnium verò materias finis & locus complectuntur. *add. omnino Cujac. 10. observ. 2. quæ observatio, quantum admiratione contendere quis possit, admiranda est, judicio Nicol. Rigaltij in not. ad vet. auct. fin. reg. C. J. A. ad tit. ff. fin. reg. n. 27.*

VII. Libera peragatur intentio) Intentio nihil aliud est, quam actio, quæ in iudicio instituitur, aut certè prima pars actionis, cum actor proponit & facit litem; vel libellus actionis §. 33. 1. *de act. l. 66. de iudic. l. 9. §. 6. ad exhib. l. 6 §. 3. si servit. vindic. l. 17. de eviction.*

VIII. Hæc fuit explicatio verborum constitutionis nostræ, ut quidem in Cod. Justinian. posita est. Dividimus eam in duas partes, ἀρον & θέρον. Prior continet sublationem præscriptionis i. e. exceptionis quinque pedum, quod, confusis finibus seu spatio quinque pedum, cum locis seu cum fundis confinibus, si alteruter confinium actione fin. reg. agere intendat, ei non possit opponi præscriptio i. e. exceptio quinque pedum, quod spatium quinque pedum tantum in actionem fin. reg. veniat, actor verò ipsa loca etiam hæc actione vindicare intendat. Posteriori parte è contrario ponitur & constituitur, ut isto casu libera peragatur intentio finalis iurgij, vel locorum, h. e.

ut siue iurgium finale siue locorum jam institutum sit ab actore, non possit hac exceptione repelli.

IX. In epitomen secundum consuetam methodum nunc redigenda lex nostra est. Baldus ac reliqui veteres ita summant: *etiam pro re modicâ, & pro vili cessante terræ redditur iudicium fin. reg.* Ast, quod de explicacione istorum, idem de summa sentiendum est. Dionys. Gothofredus his verbis summam legis nostræ proponit: *de præscriptione quinque pedum.* quæ verba quidem paucissima aliquo modo indicant, de quâ re habeatur in lege, multum tamen abest, ut totum sensum legis comprehendant. Et profectò, cum lex ipsa adeò concisa sit, & brevis atq; obscura, vix brevioram eam reddemus, ne simul sensui detrahatur. Ad casum ergò legis nostræ proponendum accedimus.

X. Secuti *n. s.* Charondæ, Giffanii, Dn. Frantzkiij, sententiam, præscriptionis vocem pro exceptione accepimus. Facti speciem verò legis nostræ, etsi non omninò, paullo tamen aliam ponemus. Et quidem fingemus Titium & Cajum fundos confines habentes, cum quibus confusum quinque pedum spacium est. Occupato à Titio non tantum spatio illo, sed etiam loco seu portione fundi ad Cajum pertinentis, Cajus actione fin. reg. & locum suum vindicare, & fines dirigi, petere, intendit. Excipit Titius, Cajum non posse de finibus agere, sed locum suum peculiari actione vindicare oportere, cum saltem quinque pedes in actionem fin. reg. veniant. Quæritur, an hæc exceptio profit Titio? & respondetur in hæc lege nostrâ, quinque pedum præscriptione i. e. exceptione submotâ, à Cajo liberam peragi posse finalis iurgij vel locorum intentionem, h. e. concedi Cajo, cum actionem fin. reg. jam intenderit, eadem locum suum vindicare.

XI Sed ut facti narratio eo melius verbis legis nostræ congru-

congruere appareat, ipsam totidem, quot in Cod. Justin. sub tit. *fin. reg.* extat, verbis, adjiciemus; nec non fontem sive integram constitutionem, ex Cod. Theodos. *eod. tit.* exhibebim⁹. Partis in Cod. Justin. positæ verba hæc sunt:

Imppp. Valent. Theod. & Arcad. AAA. Neotherio PP.

Quinq; pedum præscriptione submota, (a) finalis jurgij vel locorum libera peragatur intentio. Pp. 7. Kal. Aug. Arcadio A. 11. & Rufino (b) Coss.

(a) hæc verba: *præscriptione submota*: quidam parenthesi includunt. *vid. num. 5.*

(b) apud quosd. auct. legitur: *Augusto & Bautone Coss.* *vid. n. 2.*

Integra in Cod. Theodos. ita extat. *Quinq; pedum præscriptione submotâ, finalis jurgij vel locorum libera peragatur intentio. Sola sit igitur hujusmodi legibus una præscriptio, quæ improbi petitoris refrenare possit invidiam, si veteribus finem cum signis limes inclusus congruum erudita arte præstiterit. Nec vero prolixioris temporis in hujusmodi, locum habebit ulla præscriptio, cum diuturno otio alienum rus quisq; asserat se diligentius coluisse, quando omne hujusmodi jurgium solo præcipimus jure discingi, quo artis hujus peritus omne commissimus sub fideli arbitratione judicium.*

XII. Rationes principes, quibus exceptio Titii susti. Rat. dub. nebatur, illas allegamus; quia (1) ante hanc legem de finibus saltem h. e. interstitio quinq; pedum actio *fin. reg.* dabatur: quod *n. 5. ex l. 4. §. pen. & ult. ff. fin. reg. Frontino item atq; Aggen. Urbic.* probatum dedimus. (2) ultra quinq; pedes alia erat controversia de loco, quem Cajus tanquã dominus vindicare poterat. *vid. n. 6.* Atqui in hoc casu de spatio ultra quinq; pedes, sive de ipso loco, ad quem vindicandum competebat actio peculiaris, *fin. reg. a-* ctionem Cajus intendebat, itaq; (3) justè admodum exceptio quinq; pedum à Titio posse opponi videbatur. Sed quamvis hæc omnia rectissimè sese olim habuerint, *Rat. decid.*

submovere tamen Imppp. Valent. II. Theod. & Arcad. quatenus penes eos, & legum condendarum potestas, & suprema atq; eminentis erat Jdictio, exceptionem istam placuit. Rationes, quibus adducti fuerunt, ex mutato Reip. statu peti debent. Scilicet translata Imperij sede ex occidente in orientem, cum sæpius non solum intestinis turbis, sed etiam à barbaris undiq; irruentibus affigeretur Imperium Romanum, adeoq; quod fieri nunquam non consuevit, variæ in Remp. irreperent mutationes, factum quoq; est, ut præscriptum veteri jure confinium, scil. spatium quinque pedum, inter duo prædia rustica vacuum relinqvendum, *vid. supr. n. 4.* non exactè observaretur, quin crebrius, eo confuso, confines occasionem rixandi nanciscerentur. Utile igitur & salutare visum fuit, cum sæpius & pertinacius contenderetur de finibus, exceptionem quinque pedum submovere, cum nec permagni referret, & casus non rarò contingeret, quo, incerto prorsus existente spatio quinque pedum, exceptio hæc fugiendi litem & tam actorem quam Judicium ipsum cavillandi modus videbatur: quam potissimam exceptionis quinque pedum sublatae rationem existimamus. add. Giphan. *ad h. l.* & Dn. Frantzkius *n. 18.*

XIII. Consequens est, ut, casu legis nostræ, rationibus dubitandi & decidendi expositis, quæ notabilia exinde colligi queant, dispiciamus. Notamus itaq; (1) diversum particulæ *VEL* in Jure nostro usum, præcipuè eum, quo nonnunquam disjunctivè, ut *hic & in l. 11, §. 1. de aqua & aquæ pluvi. arc.* nonnunquam conjunctivè *l. 53. de V. §. maximè*, ut ait Dionys. Gothofredus *ad l. 6. C. de institut. & substit.* inter conditiones negativas posita, accipitur. add. Bart. *ad d. l. 11. §. 1. de aqua & aquæ pluvi. arc.* latè disjunctivam, quando disjunctat, quando conjunctat. Est etiam alternativa particula *c.* inter cæteras *4. de rescriptis.* Reliquas significationes vid. apud

apud Calvin. *in Lex. Jurid.* Notamus (2) sæpius per consequentiam, & per continentiam causæ, non per se, rem in actionem venire. Ita aliquando loca v. g. in casu legis nostræ, actione fin. reg. vindicantur; & in posteriori parte integræ constitutionis nostræ, ratione finium nec quoad loca prolixioris temporis ulla habet locum præscriptio, ibi: *nec verò prolixioris temporis in hujusmodi &c.* add. Celeberrimus Jctus Dn. J. O. Tabor *in not. ad C. A. tit. fin. reg. n. 41.* Non disfimili ratione, licet res sacræ & religiosæ per se in bonis & in commercio non sint §. 7. 1. *de rer. div. l. 1. pr. l. 6. §. 2. de rer. div. consequentiâ tamen rei non sacræ, v. g. universitatis, donatæ aut venditæ, transeunt & vindicantur, l. 22. 23. & 24. de contrab. empt.* Illud etiam, quod, nisi connexa sit causa atq; individua, majori, quamvis socio & consorti litis, non profit minoris restitutio *l. un. C. si in comm. ead. causæ. l. 47. §. 1. de minor. c. 1. circa fin. de in integr. rest. non adeò ineptè hîc allegari existimamus.* Notamus (3) fundamentum actionis fin. reg. partim esse jus in re seu dominium §. 20. 1. *de act. l. 1. l. 4. §. 5. & 9. l. 8. pr. l. 12. ff. fin. reg.* partim jus ad rem seu obligationem, quæ descendit vel ex quasi contractu, quo possessores agrorum, re potius quam consensu, confines facti, re exigente fines dirigi admittere tenentur *l. 2. d. 1. & alter alteri ejus, quod inter est, præstationem promississe censetur; vel ex delicto, terminis à confine malitiose dejectis vel exaratis l. 4. §. 4. fin. reg. l. 4. §. pen. C. eod. unde est, quod judicium hoc mixtum dicitur d. §. 20. 1. de act. & reale scil. l. 1. l. 4. pr. & §. 2. l. 8. pr. l. 12. fin. reg. l. 3. C. eod. & personale l. 1. ff. fin. reg. l. 1. §. 1. C. de annal. except. add. Wesenbec. *paratit. fin. reg. n. 6. & Dn. Hahnus in observat. ibid.* Ad quodnam verò actionum genus principaliter inclinetur quæritur. Donell, *citat. in C. A. b. t. n. 30. in perso-**

personam potius statuit. Sed Cujacij sententia, quod actio fin. reg. potius in rem sit, & vindicatio finium, ibidem præfertur *arg. l. 1. fin. reg. l. 1. C. eod.* Contingit tamen, ut hæc actio solum sit in rem; & viceversa ut sit tantum in personam: modò & in rem & in personam. *arg. l. 6. §. 1. l. 11. l. 14. §. 1. comm. div.* Notamus (4) pro diverso Reip. statu mutatis aliquando & correctis legibus atq; institutis veterum opus esse, cum hæc ad Remp. sint accommo- danda: quod politicum axioma est. Notamus (5) nostro tempore spati- um istud quinque pedum veteri jure præscriptum non observari, quamvis nonnunquam in confinio aliquo reperiatur. Notamus (6) Sandrecht qui- dem *lib. 2. art. 51.* teste Wesenbecio *h. t. n. 8.* tres pedes definiisse, totam tamen rem ex consuetudine regionum, confinium pactis & placitis, Judi- cisq; sententiâ hodiè æstimari. add. Oetinger. 1. 2. de jur limit.

XIV. Restat, ut secundum ordinem, quo procedere conati sumus, tam contra ipsa verba legis nostræ, quam contra sensum ei à nobis assignatum, objectiones proferamus. Primò pro sustinendâ vocabuli præscriptionis per exceptionem temporis explicatione communiter illud urgent, quod omnes auctores veteres de exceptione temporis hanc constitutionem acce- perint. Sed cum *n. 5.* tam de exceptione quinque pedum, quam de exceptione temporis integram Constitutionem loqui affirmaverimus, nos non ferit hæc objectio. Secundò opponi potest, quòd ea interpretatio, quam major dubitandi ratio commendat, sit præferenda. Atqui in casu, quem nos po- suimus, nulla subest gravis causa, quam obrem Neotherius PP. Imperatoris consilium expetierit, ergò falsa nostra explicatio est. Respondetur, concessò quod Neotherius PP. de hoc casu Imperatorem consuluerit, licet nonnun- quam proprio motu principes aliquid constituerint, *l. 1. §. 1. de const. Prin. l. 3. C. de LL.* respiciendum est ad integrâ Constitutionem, cujus casum si quis posuerit, gravissimas offendet rationes, quibus adductus Neotherius PP. hanc causam ad Imp. detulit. Reliquis, quæ opponi non incommodè pos- sunt, ipsi conflictui reservatis, finio, omniaq; correctioni melius sentientis subjiciens, ab æquo & humano lectore errati veniam impetrare non diffi- do. Deo Opt. Max. sit laus & gloria sempiterna.

COROLLARIA.

- I. Actio Pauliana est personalis.
- II. Jus distrahendi liberos in casu extremæ necessitatis æquè matri ac patri concedimus.
- III. Actio ad palinodiam nec civilis est nec criminalis.
- IV. Nullum interdictum cum rei vindicatione potest cumulari.
- V. Veræ locationis merces tantum in pecuniâ numeratâ constitui potest.
- VI. Etiam sui heredes pro herede usucapere possunt.

I N I S.

ULB Halle
003 070 840

3




TA-OL

V077







3. num. 2. *P. 5. 7*

F. Q. S.

L. QVIN-

DUM 5. C.

reg.

in Academia Lipsiensi

auctoritate

RÆSIDIO

R I

Nobilissimi, Amplissimi

consultissimi

SCI ROMANI,

on. Merseburg. supremæ

acultatis Juridicæ Assesso-

Academiæ Syndici

isfimi,

toris sui observantiã

colendi

mandam proponit

IS TIANUS Berger/

g. Auctor.

17. Aprilis

1672. LXII.

Q. C.

P S I Æ

NNINGI COLERA

